

20
S19

Z Y N O E D
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
QUÆSTIONUM
ALIQVOT SELE-
CTARUM

Quam

In Regia Ubsaliensi Academia

SUB PRÆSIDIO

ac Correctione

Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,

M. LAURENTII STIG-
ZELII, Logices Professoris ordinarij, præce-
ptoris & fautoris sui plurimum
honorandi,

*Unicè liberalis exercitij causâ, publicè discu-
tiendam exhibet*

MARCUS N. SCHOMERUS Upl.

*In Auditorio Majori die 4. Maij,
horis à 7. matutinis.*

U B S A L I Æ,

Imprimebat ESCHILLUS MATTHIÆ.

ANNO M. DC. XXXIII.



*Reverendis, Excellentiss. Humaniss. atq̄
Doctissimis Viris.*

M. ELIÆ OLAI, CIVI-
tatis Arosiensis Pastori & Præposito dignissimo,
ac consistorij adfessori primario, patrono ac pro-
motori suo reverenter colendo.

M. JOHANNI MARCI BUL-
LERNÆSIO, Pastori ac Præposito in *Sintuna*
fidelissimo, patruo suo honorando.

Dn. LAURENTIO OLAI,
Pastori in *Norby* vigilantissimo, patri suo beni-
gnissimo.

Dn. ERICO ERICI SÆVIO,
comministro in *Skarplosssta* indefesso, affini
suo venerando.

*Hoc exercitium Academicum in quaecunq̄
debitæ gratitudinis & observantiæ signum, reveren-
ter & submissè inscribit, nuncupat & dicat.*

Author & Resp.



QUESTIO I.

An utilitatem aliquam contineat doctrina Logica de Synonymis & Paronymis, & quæ sit horum terminorum ratio atq; latitudo.

I.



Apienter & præclare ait quidam è veteribus Eloquentia Magistris: Licet operum fastigia spectentur, lateant autem fundamenta: non tamen propterea, qui in illis fideliter jaciendis occupati sunt, minus commendandi,

quam ij qui in alio genere se exercuerunt.

2. *Quo sane veriv verbo utinam corrigi se pate-
rentur ij, qui deplorando bujus seculi vitio, tam prom-
ptos ac faciles se præbent, ad omnia aliorum inventa
factaq; contemnenda atroq; notanda carbone, quorum
non primo intuitu perspiciunt utilitatem. Cogitare
deberent, si saperent, non pauca, in artib; præsertim,
ad fundamenta & initia rectius ponenda spectare,
quorum eximia non prius sese manifestè prodit utili-
tas, quam ad operis veniatur fastigium, eaq; de cau-
sa temerarium esse judicare velle, de usu partium mi-
nutiorum totius operis coherentia non perspectâ.*

A 2

Non

3. Non malè huic accommodari commonefactio
isthac posse videtur. Quam enim diligentem posu-
erit Philosophus operam in tractanda Logica Synony-
morum & Paronymorum doctrina, notum illis est,
qui vel per transennam scripta eius Logica inspexerūt.
Eius insistentes vestigijs non pauci alij ex recentiorum
etiam turba Logici praestantissimi in eadem laborarūt
doctrina & fideliter inculcanda & magis magisq̃
limanda atq̃ perpolianda. Sed quam iniqua pluri-
morum rem totam negligentius ponderantium expe-
riuntur judicia! Profectò laborem vix cassā nuce
redimēdum sumere videtur, ludibriumq̃ reportāt pro
mercede, sed non nisi, ut jam innuebam, à iudicibus
vel imperi-tis, vel injustis.

4. Rem verò totam sepositis praedictis alius
repetentes & accuratius pensitantes, talia esse ea ju-
dicant, quae de Synonymis & Paronymis tradisoleant,
ut quantumvis levia & inania primo intuitu videan-
tur, sine illis tamen, quae maximum in desideratissima
illa veritate indaganda pondus sunt habitura, saepenu-
merò confici minimè queant. Quod ut aliqua saltem
ratione in praesentiā demonstraretur omniumq̃ ob oculos
ponatur, ita progredi libet:

5. Sine quo neq̃; diversissima Enunciata rectè
intelligi & accurate distingvi possunt, neq̃; solicè
examinari atq̃; dijudicari structura Syllogistica, id
sanè

fanè non contèndam in Logica affert utilitatem. Atqui sine cognitione doctrinæ de Synonymis & Paronymis neq; diversissima Enúciata rectè intelligi & accuratè distingvi possunt, neq; solidè examinari atq; dijudicari structura Syllogistica. Ergò cognitio doctrinæ de Synonymis & Paronymis non contemnendam in Logica affert utilitatem.

6. *Propositio extra omnem dubitationis aleam sita est: Assumptio inde probatur, quod 1. ab omnibus sanà mente præditis ultrò concedatur, per magnum esse discrimen inter Enunciationes Synonymicas, seu essentielles & Paronymicas, seu accidentales, illudq; à Logico nullatenus debere negligi & prætermitti, nisi turpiter errare & hostibus veritatis victas sæpè dare manus velit.*

7. *Quid enim? num idem sonant hæ enunciationes: merces piorum est in regno cælorum, & merces piorum est regnum cælorum? ita quidem voluit Pontificij: sed aliud veritas. Prior enim Paronymica est & ipsius scriptura, Matth. 5. Posterior Synonymica atq; falsa nata in cerebro Pontificio. Sic, aliter Peccatum pugnare intelligitur cum lege Dei, aliter homo peccator. Illud etiam συναρτώμας pugnat, ut ipsa rectè dicatur ἀνομία exorbitantia, seu pugnantia: hic συναρτώμας, ut rectè quidem dixeris, homo est ἀνομος transgressor legis divinæ; non verò homo est ἀνομία i.*

psa illegalitas & trāsgressio, sic namq̄ ipsum esset peccatum, quod tamen contendebat Flacius enunciationē Paronymicam pessimē cum Synonymica confundens. Sic differunt hæc enunciationes: Cor hominis post lapsum est malum, & peccatum est malum: illa Paronymica est, hæc Synonymica.

8. Manet ergo firmum Logicum accuratè hæc duo enunciationum genera distingvere & explicare debere: sed præstare id non potest, nisi probè noverit quid sit prædicatum Synonymicum, quid Paronymicū.

9. Eodem modo ad Syllogismos formandos & dijudicandos necessaria est cognitio hæc. Rectè enim non examinabis structuram Syllogisticam, qui naturā questionis & propositionum ignoras, nec perpendis sintne essentialis, vel accidentales. Ignoras verò sapissimè questionis & propositionum naturam atq̄ indolem, cum perspectum non habes, quam termini, ex quibus constant, inter se ~~non~~ & affectionem habeant, sit ne illa consentanea, an verò dissentanea, & si consentanea, an Synonymica & Essentialis, an vero Paronymica & ut ita dicam, extra essentialis. Cognosces autem hæc solidè ex Synonymorum & Paronymorum doctrina.

10. Sole itaq̄ meridiano clarius est, ad accuratè penitusq̄ intelligendam atq̄ dijudicandam tum Syllogismi, tum Enuntiationum naturam atq̄ formam, ne-
ces-

cessariam esse *Synonymorum* & *Paronymorum* doctrinam, quæ ostenditur, quæ sit habitudo atq; affectio inter *Enunciationum* & *propositionum affirmantium* terminos, seu ut *Ramei* loquuntur, argumenta, essentialis ne, an vero non essentialis.

11. *Declarari aliàs utilitas* & *neccesitas* hujus doctrinæ posset hunc in modum: In confesso est *Logicum* antequam *enunciatorum* aggrediatur tractatiõem, evolvere & ostendere debere, an & quæ termini simplices aptitudinem habeant ad *Enunciata* ingredienda. *Constat autem* quosdam *consecutaneos esse*, proindeq; *accommodatos ad Enunciationes affirmantes*: quosdam vero *dissentaneos* & *oppositos*, atq; ideo ad *Enunciationes negantes constituendas aptos*. *Iam porro, Res atq; termini simplices consecutaneam inter se habentes affectionem atq;* ut ita dicam, *habitudinem, ad huc in duplici sunt differentia*: *vel enim se respiciunt Essentialiter* & ἐν τῷ τ' ἐστὶ ἰνὸν quid, ut *homo* & *animal*, *vel non essentialiter* ἐν τῷ πῶτον ὁμοίῳ in quale: ut loquuntur, ut *homo* & *justicia*. *Illi* *Synonymici*, *hi Paronymici* dicuntur ex *Philosopho*.

12. *Hinc quicquid de alio dici, seu predicari aptum est* (*in Enunciato nimirum affirmante*) *vel est Synonymon, seu essentialiale subjecto suo, vel Paronymon, seu non essentialiale, vel, si ita loqui mavis, extra essentialiale.*

13. *Synonymon itaq;* nihil aliud est, nisi *notio* seu

seu terminus simplex, qui prædicari potest de sub-
jecto essentialiter & definitivè, seu in quid, hoc est,
ita, ut ipsam subjecti essentiam denotet. Ut animal
dicit quid sit homo. Color quid sit albedo.

14. Hujus prædicati Synonymici, seu essentialis
requisita variè à Logicis Aristotelicis describuntur,
pro exactiori eius consequenda notitia. 1. Ipsum
esse, seu essentiam, subjecti exprimere atq; notare de-
bet. 2. Debet prædicari in quid, seu dicere quid sit sub-
jectum. 3. Debet ipsam definitionem (λογον τῆς οὐσίας)
communicare cum subjecto, idq; in abstracto, ut ex-
presse docet definitio Synonymorum Aristotelica. 4.
Debet omnia prædicata sua essentialia subjecto tribuere, ut
quia de cane σκωλύμωσ dicitur brutum, hinc omnia essen-
tialia prædicata bruti cani similiter tribui possunt, nem-
pe quod sit animal, vivens, corpus &c.

15. Paronymon est notio seu terminus simplex,
qui de subjecto prædicari potest extra essentialiter
& in concreto: hoc est, ita ut non dicat ipsam sub-
jecti essentiam, sed aliquid ei additum, vel quocumq;
modo cum eo conjunctum. Ut homo est justus,
doctus, ambulat, generatur &c.

16. Hujus requisita sic describi solent 1. Parony-
mon non dicit ipsam subjecti essentiam, sed aliquid quod
est extra (supra vel iuxta &c.) eam. 2. Non est ip-
sum subjectum, sed in subjecto, sive per veram inba-
ren-

rentiam, sive adhaerentiam, aliamve eonjunctionem
& unionem: 3. Est derivatum ab alio cuius vi de-
nominat subjectum. 4. Dicitur de subjecto in quale
seu concreto. Sic Plato à somno dicitur dormire.

17. Atq; hac breviter ratio & explicatio est Sy-
nonymorum & Paronymorū, restat ultimò declaran-
dum, quàm latè hæc pateant, quibusq; attribui rebus
& notionibus simplicibus possint.

18. Et illud quidem jam aliquoties iudicatum
est, nempe rebus terminisq; applicari possunt omnibus,
qui de alijs dici possunt affirmativè. Sive ut loquitur
Rev. D. D. Jacob, Martini in institut. log. l. 2, c. 1.
Omnia quæ predicari debent sive modo usitato, sive
in usitato, sive regulari, sive irregulari, ad duos præ-
dicandi modos generales revocari debent, ita ut quod
dicit esse rei, sit Synonymon, quod dicit inesse Parony-
mon.

19. Notandum tamen permagnam in exemplis
seu rebus ipsis, quibus attribuuntur hi tituli, inveniri
diversitatem: quamobrem distinctionis gratiã divi-
di Synonyma & Paronyma solent in vulgaria seu re-
gularia, & extraordinaria seu irregularia. Vul-
garia & regularia sunt quæ in decem vulgatis Cate-
gorijs per se collocantur, atq; his ~~apertis~~ conveniunt
regulæ Logicæ de Synonymo & Paronymo.

20. Synonyma regularia tria in Logicis recen-

lentur: Genus, Differentia, Species. Paronyma regularia duo: Proprium & Accidens de quibus ipsi consulantur Logici.

21. Synonyma & Paronyma irregularia sunt, quae in aliquibus à vulgariis conditionibus & regulis discedunt, peculiaremque aliquam rationem habent.

22. Atque haec eiusmodi sunt, vel ob imperfectionem, ut partes. Vel perfectionem, quae Paronyma & Synonyma Eminentia, seu modo quodam eminenti à nonnullis appellantur: quòd supra rerum aliarum, Categoriarum cancellis inclusarum conditiones emineant, & eminenter, seu modo eminentiori intelligenda atque explicanda sint, per remotionem imperfectionis, quae in vulgaribus implicatur.

23. Horum alia transcendentia dicuntur, quae eminent ratione communitatis. Ut Ens, unum, bonum, causa, effectum, subjectum, adjunctum. &c.

24. Alia Divina seu Mystica, quae eminent ratione nobilitatis, & speciatim inusitata dici solent, quòd ob summam eminentiam & mysterium imperscrutabile, maxime recedant à modo predicandi in vulgaribus & regularibus usitato & nobis familiari. Ut Verbum seu secunda persona Trinitatis est Deus. Homo est Deus &c. Atque de his utrisque eminentibus Synonymis & Paronymis tenenda est Regula illa: Synonyma & Paronyma eminentia, non sunt aestimanda ex conditione rerum Prædicamentalium.

QUÆSTIO II.

An causa prima semper, per se ac proximè,
concurrat ad omnes omnium causarum secundarū
actiones?

25. *Triplicem faciunt Philosophi dependentiam
alterius ab altero. 1. in fieri, quæ requirit aliud ad
sui productionem. 2. in esse, quæ aliud requirit ad
sui conservationem. 3. in operari, quæ aliud postulat
ad suas operationes perficiendas. Itaq; omnia quæ-
cunq; sunt bona, producuntur à Deo tanquam à causa
prima, & in esse suo sustentantur, & in Deo agunt:
ita ut sine concursu primæ causæ, nihil, aut fieri, aut
existere, aut agere queat.*

26. *Priores duos dependentiæ modos supponimus,
& tertium in quæstione adsumimus: an nimirum o-
mnes creaturæ, à causa prima dependeant in ope-
rari? hoc est, an Deus semper ad omnes causarum se-
cundarum actiones concurrat,*

27. *Præterea sciendum est concursum illam dupli-
cem esse. Velenim virtualiter, seu remotè concurrat
Deus ad omnes actiones: vel per se & immediatè
actionibus omnium creaturarum operatur ipse Deus.
De priori modo dubiū nullum est, nempe quod sic ad a-
ctionem cuiuslibet causæ creatæ necessarius divinus sit
influxus: necesse enim est, ut Deus conservet in esse*

21.
creaturam, quæ aliquid operatur: qui autem dat esse, dat etiam operationem: verum remotè & per accidens. De posteriori dubitari potest: Verum aliorum omiſſis opinionibus, noſtra hæc eſt adſertio: Cauſa prima, per ſe ac immediatè agit in omni actione creature, atq; hic influxus eius ſimpliciter neceſſarius eſt, ut creatura aliquid efficiat.

28- Et hoc eſt quod Rev. D. D. Jac. M. cum Scaligero Exercit. 77. ſect. 5, indigitat: omnia quæcunq; agunt, aliquid vi ac virtute primi agentis agunt. Neq; enim forma ſuam moveret materiam, niſi Deus omnia moveret. Nimirum hæc eſt illa Dei providentia, & perpetua eius præſentia, quæ efficaciter adeſt & præeſt ſuis creaturis, quotidie & ſemper, etiam illis minutiffimis, viliffimis & abjectis, hoc eſt, muſcis, ranis &c. earumq; generationem promovet, fetus conſervat, in fines, quos ſcit optimè ipſe optimus dirigit. Lib. 1. partit. Met. q. 7. p. 542.

29- Quod etiam tali probatur argumèto. Quicquid unice & ſimpliciter à Deo dependet in eſſe; idem quoq; per ſe & immediatè à Deo dependet in operari:

At omnes creature, à Deo, per ſe & immediatè dependent in eſſe. Ergo

Omnes creature, à Deo, per ſe & immediatè dependent in operari.

30. Minor per se manifesta est. Major exinde probatur: Quia modus operandi sequitur modum essendi, ut enim res se habet in esse suo, sic etiam in operari, nec aliter potest. Operatio enim dimanat ab essentia, & est consequens essentia, sed jam in esse dependens est, ergo etiam in operari.

31. Sed dicat aliquis; ergo Deus etiam pari rationi versatur circa actiones malas? Hoc omninò negatur: & sanè omninò distingvendum inter actiones ipsas causarum secundarum, & inter malitiam & àντιζία actionum, hæc verò quæ prius dicta sunt, omnia de actionibus ipsis, non verò de malitia & àντιζία intellecta volumus.

32. Quod hæc adsertio bona sit, testatur ipse B. Chemn. loc. Theol. 5. c. 5. de causa peccati, dum dicit: Causa secunda sola (sine concursu Dei) non potest positivum aliquid agere; sed reducitur effectus eius ad causam primam, sola verò agit aliquid delinquens, aberrans & deficiens, & eiusmodi effectus non reducitur ad causam primam. Unde Regula: Quando plures causæ concurrunt ad aliquam actionem, in qua est malignitas, omnes quidem, causæ sunt illius actionis, non tamen malignitatis, sed illa solùm quæ in agendo deficit à Regula sua.

33. Hoc etiam exemplis optimè declarari potest,

sed unicum nobis sufficit. Anima sensitiva prout habet locomotivam, influit per se in pedum ambulationem, non verò in claudicationem. Claudicatio enim unice fit à defectu pedum, quatenus sunt fracti, vel alio vitio laborant. Non enim Anima influit in pedes ut claudicent, sed ut rectè incedant, secundum naturæ perfectionem. Sic Deus in omnium rerum actiones influit, sed non quatenus sunt mala & deficiunt. Hic enim defectus agentium, unice est à corruptione & depravatione agentis proximi. Non enim movet Deus omnia, ut deficiant, aut aberrant; sed ut benè agant. Concludimus ergo Deum semper, per se & proximè concurrere ad quasvis causarum secundarum actiones, sed non ad ^{causas} illarum.

13

Q U Æ S T I O III.

An in homine unica sit anima, an verò plures?

34. Hæc questio paucis ut discutiatur, initio notandum hic non quæri, an in homine tres sint potentia seu facultates, nempe vegetandi, sentiendi & intelligendi, hoc enim docet experientia; sed an una cum potentijs ipsæ etiam anima reverà ab invicem, & quidem specie distinctæ, ita ut non unius, sed triplicis anima rationem obtineant: an verò una duntaxat specie in homine detur anima omnibus illis facultatibus prædita?

Prio-

35. Priorem alij affirmant, asserentes, animas non solum in diversis specie viventibus distinctas esse, sed etiam in eodem plures reperiri posse; atq; adeo in homine non solum dari facultatem nutriendi, sentiendi, sed animam quoq; Nutrientem atq; sentientem, realiter à rationali distinctam.

36. Posterior verò sententia veritati magis consentanea videtur, adeoq; communior est; in quolibet nimirum vivente unicam tantum esse animam, eamq; instructam omnib; animæ inferioris & communis facultatibus, nec in homine tres esse animas, intelligentem, sentientem & vegetantem, sed unam, quæ horū omnium viribus prædita sit, denominationemq; à nobiliori facultate accipiat.

37. Cujus quidem sententiæ, etsi apud auctores per plurimos, plurima rationum momenta extare videantur primo intuitu; nihilominus tamen diligentius ponderata & excussa, partim ex principijs atq; fundamentis procedunt inconstantibus atq; valde incertis, partim particularibus & oppositam thesin non nisi in speciali quodam sensu oppugnantibus, (quatenus vimirum à nonnullis perperam statuitur, animam vegetantem Plantarum, sentientem verò Brutorum formã esse specificam) non verò in universa sua latitudine.

38. Quamobrem omisiss, in præsentia, rationibus multorum vel prorsus infirmis, vel inadæquatis, hæc
uni-

unicā tanquam firmā & inconcuſſā nitimur: Ubi nulla certa & firma dantur iudicia atq; fundamenta realis diſtinctionis, ibi non eſt diſtinctio realis, ad multiplicanda Entia temerè conſingenda. Atqui in homine diſtinctionis, inter animam vegetantem, ſentientem & rationalem, realis, nulla dantur certa & firma iudicia atq; fundamenta. In homine igitur diſtinctio realis inter animam vegetantem, ſentientem & rationalem non eſt conſingenda.

39. *Propoſitio Major axioma eſt omnium doctorum Philoſophorum calculo approbatum. Minor tantisper erit vera & firma, dum firma illa fundamenta qua deſideramus, in lucem proferantur, quod fiet ad calendās Gracas, ut patebit ex ipſa rationū contrariarum, in publico examine adducendarum, reſutatione facilima. Demonſtrationes alia, partim ex Philoſophia, partim ex ſacra ſcriptura & alijs afferri ſolite, in authorum ſcriptis paſſim ſunt obvia.*

14.

Q U Æ S T I O I V.

An viro bono & honeſto licitum ſit aliquando veritatem occultare, & diſſimulatione uti?

40. *Cum aliàs ſemper tum verò præcipuè hoc exulceratiſſimo ſeculo, in quo omnè ferè veritatē eſt ſcena vitæ humanæ exhibitam deprehendimus, cādoremq; in merum fucum, vulpinam calliditatem & fallacias.*
prob

proh dolor! de gēnēraſſe dolemus, neceſſarium vel in-
primis eſt, pulcherrimam illam & converſationi atq;
vita communi utiliſſimam veritatem, omni detractā
vitiorum nudam eius ſpeciem habentium larvā, mor-
taliū ob oculos ſtatuerē, eiusq; identidē inculcare ſim-
plicioribus commendationem, quibus incredibile di-
ctu, quantum partim exemplo, partim verbis noceat
vanitas eorum, qui ſub tegumento & titulo ſolidioris
prudētia politica omnem verſutiam, mendacia &
fraudes occultant, alijsq; ſesquipedalibus verbis oſten-
tant & impudenter venditant.

41. Veritatem igitur omni ſtudio ſectari & men-
daciū angve pejus ac cane odiſſe atq; fugere quemli-
bet decet hominem, adeo quidem ut non queat alias
viri boni atq; honeſti nomē tueri, nedum veri Chriſtiani.
Quo poſito fundamento illa mox emergit Qua-
ſtio & in quodiāa praxi atq; vita frequentiffimē con-
ſcientiam ſollicitans, & in Scholis tum Theologorum
tum Philoſophorum multum agitata: an Veritatem
ita colere debeam⁹ & ſectari, ut nunquam liceat
verum nobis cognitum perſpectumq; reticere &
occultare: ſeu, an veracitas poſtulet, ut quis ſem-
per omnia quæ novit manifeſtet?

42. Ad cujus quidem quaſtionis breviffimam re-
ſolutionem ſequentia noto capita:

I. Diſtingvendū inter Veritatem Religioſam.

C

in

in rebus Theologicis & fidem concernentibus. Et Veritatem Civilem in actionibus & negotijs Civilibus occupatam. Illa quando & quomodo vel manifestanda, vel retitenda sit, Theologorum late ostendunt disputationes. Hac verò in presentem venit quaestionem.

43. II. Repetendum ex Ethicis quid sit Veritas, nempe virtus moralis (homilitica) quã id quod in corde sentimus etiam ore, factis & gestibus externis, solius veri amore, prudenti simplicitate exprimere & studemus, nihil fraudulentè addendo, detrabendo aut dissimulando.

44. III. Atq; hinc primò colligitur, quum veracitas Virtus sit moralis, cujus directrix prudentia est, non tam late extendenda esse eius postulata, ut aliquando pugnet cum prudentia & Virtutibus alijs. Pugnaret autem, si juberet semper propalare omnia, qua nosces. Annon enim sic imprudenter & te & alios saepe conyeres in periculum, ageresq; cõtra obedientiam, fidem atq; taciturnitatem.

45. IV. Itaq; si patefactione veri tibi noti, neq; offeritur & promovetur gloria Dei, neq; commodum publicum, neq; commodum proximi, vel tui ipsius, quid est cur verum omne manifestare debeas, nec occultare illud queas?

46. V. Quando constat patefactionem veri esse

con-

contra gloriam Dei, vel honestatem atq; iustas leges,
tam planum est occultandam esse veritatem.

47. VI. Quando patefactione veri requirit glo-
ria Dei, tum veritas nullatenus est occultanda.

48. VII. Quando patefactionem veri (qua non
est contra gloriam Dei) requirit salus publica, tum ve-
ritas non est occultanda, licet vel maximè illa patefa-
ctio esset contra particulare aliquod commodum priva-
tum.

49. VIII. Quando patefactionem veri requirit
commodum privatum, neq; fuerit patefactio illa con-
tra gloriam Dei vel salutē publicā, tum non occultan-
da est veritas. Videndum tamen cum plura se offe-
rant commoda privata, quodnam earum reliquis sit
preferendum; si itaq; patefactione veri, ceteris pari-
bus, commodum privatum unum & quidem minus
promovetur, alterum tamen & majus impeditur atq;
leditur, tum occultandum potius verum est. Quod
idem occurrentibus pluribus commodis publicis, obser-
vandum fuerit.

50. Sed cum mira sit casuum juxta diversas cir-
cumstantias actionum varietas, in negotijs humanis,
non potest brevibus & paucis regulis, tota illa varietas
speciatim comprehendi: Itaq; ad quaecunq; judicium
de omnibus & singulis casibus ferendum, generatim
hæc notanda sunt. 1. Respicendum semper est ad glo-

nam Dei & dilectionem proximi, legesq; certas charitatis, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. II. Commodum publicum, ceteris paribus, est preferendum privato; & gloria divina, atq; honestatis promotio, utilitati & jucunditati. III. Salus spiritualis anteponenda corporali. IV. Respiciendum ad personas requirentes manifestationem veri, an illis obligati subjectiq; sumus, an verò non. V. Distingvendum inter id quod per se est commodum, & quod tale est per accidens. Item: quod simpliciter est salutare, & tantum secundum quid. Cetera petantur ex D. D. Mei-
snero part. 2. Polit. Sob. Sect. 2. Q. 6. Et part. 3. Sob. Sect. 2. cap. 7. Q. 2. Alijsq; authoribus Ethicis.

Atq; hic vela contrahimus. Tibi omnipotens æterne Deus, cum Filio coæterno & Spiritu Sancto, sit laus, gloria & honor, in secula seculorum, AMEN.

COROLLARIUM.

In remedijs contra morbos Rerum publicarum, repudianda sunt scelestissima quorundam pseudo-Policorum consilia, qui imperantibus suggerunt, mendacijs charitati proximi adversis alijsq; flagitijs uti licere, ad Remp. & statum ei⁹ vel conservandum, vel curandum. Ex quorum censu fuit Achitophel, suadens Absolomo, ut novercis abuteretur, 2, Sam. 16.